

Leonardus Praxator de Cham OCarm\*

Wien, ÖNB 4291, ff 301r–307r (Vienna – V),  
Salzburg, Bibliothek der Erzabtei St. Peter OSB, b VI, 20, ff. 60r–64r (Iuvavium – I)

Sermo ad clerum de Sancto Ladislao etc. (a. 1462)<sup>i</sup>

(1) „**Noctem illam duxit rex insomnem**” *Hester* 6<sup>to</sup> (1). Patres prestantissimi, doctores preclarissimi, singulari reverencia colendi, magistri insignes ceterique domini et fratres cuiuscumque dignitatis aut status sciencie morumve, venusto censeamini fulgore caritatis cum<sup>ii</sup> visceribus sinceris<sup>iii</sup> amplectendi! Convenientibus nobis in unum ad presentem celebritatem festivitatis annue beatissimi patroni nacionis nostre gloriosi, videlicet regis Ladislai, prolaturus iuxta morem exiguum alloquium commemoro, quod dominus Deus creator universorum, priusquam faceret hominem et introduceret tamquam incolam in hunc mundum, preparavit ei sex diebus habitaculum gloriosum et palatium magnificum, scilicet celum, et ornavit illud circumferencialiter sole et luna et micantibus stellis, stravit pavementum palatii illius, scilicet terram, et decoravit virentibus herbis et odoriferis floribus et fructibus optimis; magnam familiam, cui presidere deberet, fecit in magno illo palacio, videlicet universa animalia terre, aque et aeris, que quasi in servos et famulos hominibus subiecit dicens: „Dominamini piscibus maris et volatilibus celi et universis animantibus, que moventur super terram” *Gen.* 1<sup>o</sup> (28). Equidem †regnis† propheta David †ammirante† querit dicens: „Quid est homo, quod memor es eius?” *Ps.* 8<sup>vo</sup> (5), in quo consideravit summarum virtutum excellencias spiritu Dei doctus, quibus primi protoplasti prediti fuerant,<sup>iv</sup> quia „gloria et honore coronavit eos et constituit eos super opera manuum suarum” (*Ps.* 8 ,6–7). „Homo autem, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis” *Ps.* 48<sup>vo</sup> (13). Beatus Augustinus 3<sup>o</sup> *super Genesin* dicit, quod „res peccando amittit decus proprium”.<sup>1</sup> Peccavit Adam et amisit excellenciam, quia sui rectissimi status immemor neque gratus, ab hac rectitudine cadens cecidit de loco voluptatis in hanc vallem miserie et tenebrarum. Eminenciam, quam super reliquas creaturas acceperat, totaliter perdidit et sic obfuscatus est in intellectu<sup>v</sup> per ignoranciam, „obscuratum est aurum,”<sup>vi</sup> mutatus est color optimus” (*Thren.* 4, 1), allectus in affectum per inordinatam concupiscenciam et per consequens infirmus in omni opere bono per impotenciam. Inde<sup>vii</sup> propter ignoranciam lumen et verbum veritatis non respiciebat, propter concupiscenciam inordinatam graciā Spiritus Sancti et virtutum seminarium in affectu non habebat, et propter defectum utriusque quoad omnes potencias malis operibus adherebat. Et inde est, quod „sensus et cogitacio humani cordis in malum prona sunt ab adolescencia sua” *Gen.* 8<sup>vo</sup> (21). Clamet ergo universus cetus humane condicionis dicens: „Humiliatus sum usquequaque, Domine? vivifica me secundum verbum tuum” *Ps.* 124 (recte: 118, 107). Navigantibus enim nobis viatoribus in huius mundi pelago, ubi †hic in via re(?)ctu† patrie? Quasi in nocte ambulamus dicente Salvatore: „Siquis ambulaverit in nocte, offendit” *Ioh.* XI, (10) – non offensione scandali, sed proprie incertitudinis,<sup>viii</sup> quia „nescit homo, utrum amore an odio Dei dignus sit” *Eccles.* IX, (1). Sunt

\* Hajdú, István: *Vita sancti Ladislai confessoris regis Hungariae* († 1095), (accedit appendix sermonem Leonardi Praxatoris de sancto Ladislao continens), *Cahiers de l'institut du Moyen Age grec et latin*, 77 (2006), 3–83. – (Madas–Horváth 2008, 349–362.)

<sup>1</sup> Augustinus, *De Genesi ad litteram*, lib. 3, c. 24. – PL 34, 296: „Ea vero quae peccando amittunt decus proprium ...”

nempe in ea diversa genera inimicorum, qui secundum virium nostrarum quantitatem compensato nobiscum in agone luctantur. In huius itaque mundi pelago valde nobis est pertimescendum, ne navem nostram procella tempestatis arripiat, aut in eternam predam pirata crudelis abducatur. Adversus hec ergo multiformia<sup>ix</sup> seculi mala castigatis castisque actibus resistamus. Festivi autem patroni nostri Ladislai merita iam in tuto<sup>x</sup> sunt posita. Securi magnificemus, qui gubernaculum<sup>xi</sup> fidei viriliter tenens ancoram spei tranquilla iam in statione composuit et plenam celestibus divitiis et eternis mercibus navim optato in litore collocavit.

Sed, luculentissimi patres et domini, quid ego tantillus et bonarum accionum pusillus, „qui bibo quasi aquam iniquitatem” *Iob XV*, (16), coram vobis, dignissimis patribus, fari incipiam, cum „timor et tremor venerunt super me et contexerunt me tenebre” *Ps. LIII<sup>o</sup>* (6), scilicet ignorancie, et secundum sententiam beati Gregorii *super Ezechielem* parte prima *omelia 9-a*: „oportet eum esse, qui docet et instruit alios, ut sit sciencie erudicione irreprehensibilis et morum compositione maturus?”<sup>2</sup> Eapropter, gracia loquendi obtenta,<sup>xii</sup> adeamus cum fiducia thronum misericordie eius, qui est „lux mundi” *Ioh. 8<sup>vo</sup>* (12), ut mencium nostrarum tenebras effugare dignetur, qui „illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum” *Ioh. primo*, (9). Sed ubi copiosius precum nostrarum potiri possumus effectum nisi in ea, que vere dicit „gracia Dei in me vacua non fuit” prima<sup>xiii</sup> *Corinth. 15*, (10)?

Ad ipsam christiferam virginem Mariam, nostre sacre religionis patronam curramus, que est „stella matutina, peccatorum medicina”.<sup>3</sup> Ad hanc stellam, ut dicit beatus Bernardus in *sermone*, cuius exordium est „Loquamur aliquid”: „erigatur de nocte oculus cordis, ut eius beneficio tempestas in aure gratiam reduce<a>tur.”<sup>4</sup> Hec est enim amatrix fratrum et que<sup>xiv</sup> multum orat pro populo suo et pro civitate sancta Hierusalem, per hanc largitur omnipotens Deus „captivis indulgenciam, clausis apercionem” (*Is 61, 1*), laborantibus requiem, periclitantibus securitatem, infirmantibus sanitatem, inter amicos fidem, inter inimicos pacem, inter angustias consolacionem, in dubiis certitudinem, in errore consilium, in tribulacione solacium, in exilio refugium, in bello propugnaculum, in naufragio portum. Ipsa enim se concupiscentes a generacionibus suis implet. Ut igitur ab ipsa gratiam impetremus, verbum oraculi angelice ei allatum offeramus intellectusque<sup>xv</sup> ex hilaritate voce dicamus submissa: Ave Maria.

(2) „**Noctem illam duxit rex insomnem**”, loco et capitulo preallegatis. Reverendi patres, domini doctores eximii, insignibus aureolis laureati, magistri honore prefulgidi singulique fratres et domini quorumcumque titulorum ac meritorum Deo notorum in Christo Iesu semper preferendi! Secundum beatum Gregorium *24 Moralium*: „Qui adhuc inpugnancium certamina viciorum per consensum delectacionis tolerat, aliorum curam sumere non presumat. Cum vero temptacionum bella subegerit et ipse apud se intima tranquillitate securus est, custodiam sorciatur aliorum”<sup>5</sup> et Willelmum *De universo* secunda parte secunde partis capitulo 112: „Virtus regia et potestas iudiciaria non est danda nisi Creatoris amatoribus Deique consilia scientibus.”<sup>6</sup> Rege siquidem insipiente et remisso et Dei inimico nihil rei publice perniciosius et potestas in manu eius<sup>xvi</sup> non est nisi gladius in manu furentis iuxta illud *8<sup>vo</sup> Ethicorum*: „Malus rex tyrannus dicitur.”<sup>7</sup> Consonat eciam illud *6<sup>to</sup> Politice*: „Pravos non est securum

---

<sup>2</sup> Cf. Rufinus, *Epistola Clementis*, c. 13. – PL 130, 24B: „oportet eum, qui docet et instruit animas rudes esse talem, ut pro ingenio audientium semetipsum possit aptare ...; debet ergo ipse adprime esse eruditus et doctus, inreprehensibilis, maturus.”

<sup>3</sup> *Ave stella matutina, peccatorum medicina* etc. Antiphona BMV.

<sup>4</sup> Bernardus Claraevallensis, *Sermones in laudem Virginis Matris* 2, 17. – Vol. 4, p. 34, 15 – 35, 20 Leclercq/Rochais.

<sup>5</sup> Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, lib. 23, c. 21. – PL 76, 264B.

<sup>6</sup> Guilelmus Alvernensis (sive Parisiensis), *De universo* 2, 2, 112 – verba a Leonardo laudata non inveniuntur; fortasse alio loco eiusdem operis quaerenda.

<sup>7</sup> Aristoteles, *Ethica Nicomachea*, lib. 8, c. 12 = *Auctoritates Aristotelis*, 12, 156 (Hamesse).

facere dominos, quia ipsi magis indigent<sup>xvii</sup> custodia aliorum quam possint alios custodire.”<sup>8</sup>  
„Rex” autem sapiens vigilantissimo animo „sedet in solio et dissipat omne malum intuitu suo”  
*Prov. XX*, (8). Debet namque rex habere

prudenciam clariorem,  
amiciciam cariorem,  
iusticiam veriorem,  
potenciam forciolem,  
sanctimoniam meliorem,  
misericordiam dulciorem.

(2.1.1) Primo ut dicitur III *Politice*: „Debet rex prudentia clarescere clariori, nec debet duci<sup>xviii</sup> a subditis, sed ducere alios”.<sup>9</sup> Unde *Sap. VI*<sup>o</sup> (22–23): „Reges populi, diligite sapienciam, ut in perpetuum regnetis, diligite lumen sapiencie omnes, qui preestis populis”, quia „melior est pauper et puer (*sic*) sapiens rege sene et stulto” *Eccles. III*, (13). „Rex insipiens perdet populum suum” *Eccli. X*<sup>o</sup> (3).<sup>xix</sup> Experiencia huius virtutis patet in Theodosio imperatore, de quo dicitur in prologo *Historie tripartite*, quod de die tractabat de armis et de facto rei publice, de nocte libris incumbere in addiscendo prudentiam.<sup>10</sup> Pari simile de ¶?ra(n?)colo¶ Magno dicitur, qui in artibus eruditus prudentiam in rege armis preferebat, ut habetur in epistola, quam misit Plutarchus ad Traianum.<sup>11</sup> Et Vegetius libro 1<sup>mo</sup> *De re militari* dicit: „Neminem decet magis utiliora vel plura scire quam principem, cuius doctrina potest omnibus prodesse.”<sup>12</sup> „Dedit quoque Deus sapienciam Salomoni et prudentiam multam nimis et latitudinem cordis, quasi arenam, que est in litore maris, et precedebat sapiencia Salomonis sapienciam omnium Orientalium et Egypciolorum et erat sapiencior cunctis hominibus”. „Veniebant de cunctis populis ad audiendam sapienciam eius” 3<sup>o</sup> *Reg. III*, (29–31, 34); „super salutem”, scilicet corporis, „et omnem speciem”, scilicet rerum, „dilexit sapienciam” *Sap. 7*<sup>mo</sup> (10). „Rex vero sapiens populi stabilimentum est” *Sap. 6*<sup>to</sup> (26), etc.

(2.1.2) Secundo debet pollere rex amicicia cariore, de qua virtute evidenter Philosophus<sup>xx</sup> 3<sup>o</sup> *Politice* ait,<sup>xxi</sup> quod, qui vult principare secundum principales principatus, cuiusmodi est rex, debet habere amorem ad consistentem policiam,<sup>13</sup> et propter hoc 8<sup>vo</sup> *Ethicorum* dicitur, quod rex intendit „conferens”, id est bonum, „subditorum”,<sup>14</sup> quemadmodum fuit rex Peloponnensium,<sup>xxii</sup> qui mori elegit propter bonum commune, ut dicit<sup>xxiii</sup> beatus Augustinus XI *De civitate Dei*.<sup>15</sup> Sic *Isa. LX*<sup>o</sup> (10) dicitur: „Reges ministrabunt tibi”, scilicet policie communi,<sup>xxiv</sup> ex amore huius condicionis. Exemplum scribit<sup>xxv</sup> Suetonius in libro *De XII Cesaribus*, quod Iulius Cesar amorem<sup>xxvi</sup> militum suorum commeruit, quia illis condescendebat; non enim „milites pro condicione, sed blandiori nomine commilitones<sup>xxvii</sup> appellabat”<sup>16</sup> miroque modo diligebat. In *Politicon* libro III<sup>o</sup> <sup>xxviii</sup> cap. XVIII narratur, quod cum Alexander Magnus vidisset militem senem confectum frigore, surrexit de sede propria igni propinqua et sede propria propriis manibus ipsum inposuit,<sup>17</sup> bene iuxta Cassiodorum

<sup>8</sup> Aristoteles, *Politica*, lib. 6, c. 8 = *Auctoritates Aristotelis*, 15, 111 (Hamesse).

<sup>9</sup> Locus non inventus.

<sup>10</sup> Cassiodorus, *Historia tripartita*, lib. 1, 1, 8.

<sup>11</sup> Locus non inventus.

<sup>12</sup> Vegetius, *Epitoma rei militaris*, 1 prol. 1.

<sup>13</sup> Locus non inventus.

<sup>14</sup> Aristoteles, *Ethica Nicomachea*, lib. 8, c. 12 – *Aristoteles Latinus* 26, 1, 3, p. 313, 9sq.

<sup>15</sup> Cf. Augustinus, *De civitate Dei*, lib. 18, c. 19: „Codrus rex Atheniensium Peloponnensibus eiusdem hostibus civitatis se interficiendum ignotus obiecit; et factum est. Hoc modo eum praedicant patriam liberasse. Responsum enim acceperant Peloponnenses tum demum se superaturos, si eorum regem non occidissent. Fefellit ergo eos habitu pauperis apparendo et in suam necem per iurgium provocando.”

<sup>16</sup> Suetonius, *De vita XII caesarum*, lib. 1, 67.

<sup>17</sup> Locus non inventus. Cf. Valerius Maximus, *Facta et dicta memorabilia*, lib. 5, c. 1, ext. 1.

libro II<sup>o</sup> *Epistularum*: „Qui rei publice statum et generale cupit stare<sup>xxix</sup> fastigium”, qualiter rex, „ad universa debet esse sollicitus, quia non est salus in corpore,<sup>xxx</sup> nisi quantum et membra potuerint obtinere” etc.<sup>18</sup>

(2.1.3) Debet tercio rex, ut habetur V<sup>o</sup> *Ethicorum*, habere iusticiam veriolem,<sup>19</sup> quia rex est custos iusti, ut dicitur V<sup>o</sup> *Politice*<sup>20</sup> et *Isa. XXXII*<sup>o</sup> (1): „Ecce in iusticia regnabit rex”; hanc condicionem in rege esse<sup>xxxi</sup> venerandam per plura patet exempla. Nam sicut Augustinus III<sup>o</sup> *De civitate Dei*, cap. X<sup>o</sup>: „Remota iusticia quid sunt regna nisi latrocinia”.<sup>21</sup> Et secundum Tullium libro I<sup>o</sup> *De officiis* cap. XII: Antiqui principes subiciebant se legibus ab eis statutis, ut alios ad iusticiam provocarent,<sup>22</sup> sicut Valerius narrat libro VI de Seleuco,<sup>xxxii</sup> qui voluit, quod sibi oculus erueretur et filio unus, quia filius meruerat perdere ambos; quod filius non excecaretur, partem iusticie portavit, ne iusticie vindicta<sup>xxxiii</sup> frangeretur.<sup>23</sup> Similiter Traianus imperator pergens ad bellum de equo descendit, ut vidue causam expediret, ut narrat Suetonius<sup>24</sup> et beatus Gregorius<sup>xxxiv</sup> in multis locis. Simile legitur de Alexandro Magno in *Politicon* libro V<sup>o</sup> cap. XI: Cum contra se sententia ferretur in iudicio militum in castrensi iudicio, iudicibus gracias egit de iusticia militum.<sup>25</sup>

(2.1.4) Demum et quarto debet habere rex potenciam forciolem, quia omnis principatus, cuius excellens est rex, debet habere potenciam corrigendi malos. Ideo in *Ps. 71*<sup>o</sup> (2) dicitur: „Deus, iudicium tuum regi da, quia sicut fremitus leonis, ita ira regis”, ut dicitur *Prov. XVI* (recte: 19, 12). Ne sit ergo vecors, debet primo rex ostendere audaciam, sicut de Cesare Iulio dicitur primo in libro *De XII Cesaribus*, quod numquam militibus dixit „ite”, sed „venite”.<sup>26</sup> Unde et beatus Augustinus V<sup>o</sup> *De civitate Dei*, cap. XXV exemplum ponit de Constantino Magno, qui „diu imperavit universum Romanum<sup>xxxv</sup> imperium gubernans, in gerendis<sup>xxxvi</sup> bellis victoriosissimus, in tyrannis opprimendis per omnia prosperatus<sup>xxxvii</sup>”<sup>27</sup> – et per Theodosium imperatorem, ut dicitur in *Historia tripartita* libro IX<sup>o</sup>, falsos iudices in civitate Thessalonica lapidibus fuisse obrutos etc.<sup>28</sup>

(2.1.5) Ornatur quinto rex sanctimonia meliori, nam sicut dicitur V<sup>o</sup> *Politice*: In regno melior debet eligi,<sup>xxxviii</sup> cui obedire est.<sup>29</sup> Dicitur etiam 8<sup>vo</sup> *Ethicorum*, quod „non est rex, qui non per se est sufficiens et in omnibus bonis superexcellens”.<sup>30</sup> Unde *Eccles. X*<sup>o</sup> (17): „Beata terra, cuius rex nobilis est”, scilicet virtutibus, quia soli vero reges<sup>xxxix</sup> illustres fiunt; sequitur: „Cuius principes comedunt tempore suo”, qui scilicet non sunt nimis deliciosi, abstracti a mundi vanitatibus. Unde et Iudas Macchabeus plus virtutibus sanctis et verbis, quibus suos armabat, vicit quam armorum et populi pluralitate. Unde Claudianus ad Theodosium dicit: „Regis ad exemplum, ut possit<sup>xl</sup> inflectere sensus humanos, edi<c>ta plus valent, quam vita regentis<sup>xli</sup>; mobile mutatur semper cum principe vulgus.”<sup>31</sup> „Reges enim a recte regendo vocati sunt, ideoque recte faciendo<sup>xlii</sup> regis nomen tenetur, peccando amittitur. Recte ergo illi

<sup>18</sup> Cassiodorus, *Variae*, 9, 2, 1.

<sup>19</sup> Locus non inventus.

<sup>20</sup> Locus non inventus.

<sup>21</sup> Augustinus, *De civitate Dei*, lib. 4, c. 4.

<sup>22</sup> Locus non inventus.

<sup>23</sup> Valerius Maximus, *Facta et dicta memorabilia*, lib. 6, c. 5, ext. 3.

<sup>24</sup> Locus non inventus.

<sup>25</sup> Locus non inventus.

<sup>26</sup> Locus non inventus.

<sup>27</sup> Augustinus, *De civitate Dei*, lib. 5, c. 25.

<sup>28</sup> Cf. Cassiodorus, *Historia tripartita*, lib. 9, 30, 3: „in qua, sc. Thessalonica, dum fuisset orta seditio, quidam iudicum lapidati sunt atque tracti; hinc indignatus Theodosius iracundiae non refrenavit infirmitatem, sed iussit iniustos gladios super omnes evaginari et una cum nocentibus innocentes interimi: septem milia etenim hominum, sicut fertur, occisi sunt non praecedente iudicio.”

<sup>29</sup> Locus non inventus.

<sup>30</sup> Aristoteles, *Ethica Nicomachea*, lib. 8, c. 12 – *Aristoteles Latinus* 26, 1, 3, p. 313, 10 sq.

<sup>31</sup> Claudianus, *Carmina*, 8, 300–302.

reges vocantur, qui tam semetipsos quam subiectos bene regendo modificare noverunt.”<sup>32</sup> Hec Isidorus libro III<sup>o</sup> <sup>xliii</sup> *De summo bono*, cap. 9<sup>o</sup>.

(2.1.6) Sexto decoratur rex misericordia dulciori, ut sit magnanimus quantum ad se, ut dicitur 4<sup>to</sup> *Ethicorum*: Largus<sup>xliv</sup> ad subditos,<sup>33</sup> ut habetur etiam 3<sup>o</sup> *Politice*<sup>34</sup> et Ovidius in *De Ponto*: „Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis, convenit et tanto, quantum es ipse, viro”.<sup>35</sup> Et Seneca ad Neronem in libro primo *De clementia*, cap. V<sup>to</sup> dicit: Nullum<sup>xlv</sup> clementia magis ex omnibus quam regem et principem decet.<sup>36</sup> Regius erat iste, qui scribebat<sup>xlvi</sup> „offerent reges munera” *Ps.* 67, (30). Unde si quandoque in rege est vindicta, sit<sup>xlvii</sup> tamen cum misericordia et clementia, sicut narrat Orosius, quod Alexander videns caput Darii sibi allatum,<sup>xlviii</sup> flevit dicens: O, Dari, ut mihi credidisses et mecum regnasses.<sup>37</sup> Simile narrat Valerius libro I<sup>o</sup> capitulo V<sup>to</sup>, quod cum Marcus Marcellus Syracusanos captos vidisset et urbem tam opulentam destrui,<sup>xlix</sup> cepit flere et „casum lugubrem intuens fletum cohibere non potuit”.<sup>38</sup> Ita de Tito in destructione Hierusalem narrat Egesippus, quod, cum audisset, quod mulier comederet filium ex fame, flevit dicens, quod, si sibi clementes fuissent, clementiam invenissent.<sup>39</sup> De his virtutibus dicit Seneca ad Neronem in libro *De clementia*: „Inexpugnabile munimentum amor civium. Quid pulchrius est, quam vivere optantibus cunctis? Quis huic audeat struere aliquod periculum, sub quo rege iusticia, pax, pudicia,<sup>1</sup> securitas, misericordia et dignitas flore{re}t, sub quo opulenta civitas copia bonorum omnium abundat?”<sup>40</sup> Et Rabanus in *commentario* super illud *Prov.* XX, (29): „Exultacio iuvenum fortitudo eorum et dignitas senum canicies” dicit: „Tunc civitates bene ordinantur, tunc sancte ecclesie recte aguntur, cum et forciores viribus necessariis insistunt operibus”, scilicet subditorum, „et seniores maiori prudentia prediti de iis, que agenda sunt, salubriter consulunt”.<sup>41</sup>

Harum enim virtutum, quibus decet reges tamquam vestimento varietatum<sup>li</sup> amiciri, noster beatissimus patronus Ladislaus viguit stipatus, hunc circumdederant veritas et misericordia, osculata est caritas simul cum iusticia, per hunc ad terrestria fortitudo prospexit et prudentia. In iudicandis et examinandis causis non potencia, sed prudentia decernebat. „Rigori iusticie misericordie lenitatem referebat.”<sup>42</sup> „Misericordia enim et veritas custodiunt regem, et roboratur clementia thronus eius” *Prov.* XX<sup>o</sup> (28), quod pertractans beatus Gregorius XX *Moralium* cap. 7<sup>o</sup> dicit<sup>lii</sup>: „Ecce auctoritas regis; disciplina enim vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur.”<sup>43</sup> Disertus in eloquio ut et<sup>liii</sup> in silencio, cautus in consilio. Erat enim verus Dei cultor. Ideoque sicut<sup>liv</sup> rex Asuerus, ut dicit Iosephus, vigiliam noctis †artificialis† nolebat transire in ocio, sed expendere in aliquo<sup>lv</sup> utili pro regno suo, et ideo fecit coram se legi facta preterita regni sui, quia mores preteritorum dirigunt<sup>ddlvi</sup> in agendum post futurorum, <et?> frust<r>avit machinacionem per Aman factam contra iustum Mardocheum,<sup>44</sup> taliter noster rex Ladislaus **noctem** presentis calamitatis et miserie in virtutum exercitacione **duxit insomnem** contra invidi hostis insidias, qui „tamquam leo rugiens circuit querens, quem devoret”, ut dicit beatus apostolus Petrus in hodierna epistula 1<sup>o</sup>

<sup>32</sup> Isidorus, *Sententiae*, 3, 48, 7.

<sup>33</sup> Locus non inventus.

<sup>34</sup> Locus non inventus.

<sup>35</sup> Ovidius, *Epistolae ex Ponto*, lib. 2, 9, 11sq.

<sup>36</sup> Cf. Seneca, *De clementia*, lib. 1, 5, 2.

<sup>37</sup> Locus non inventus.

<sup>38</sup> Valerius Maximus, *Facta et dicta memorabilia*, lib. 5, c.1, ext. 4.

<sup>39</sup> Locus non inventus.

<sup>40</sup> Seneca, *De clementia*, lib. 1, 19, 6sq.

<sup>41</sup> Rabanus Maurus, *Expositio in Proverbia*, 2, 20. – PL 111, 746C.

<sup>42</sup> Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 518, 27–28.

<sup>43</sup> Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, lib. 20, c. 14. – PL 76, 143C.

<sup>44</sup> Cf. Cassiodorus, *Iosephi Flavii Antiquitates Iudaicae*, 11, 248sqq.

*Petri* 5<sup>to</sup> (8).<sup>45</sup> Huius infestationum velut latronum obsidet multitudo, quibus per omnes vias subplantatores invisibiles animarum laqueos extendunt innumerabiles expavescendos. Denique maturus et sobrius in operatione catholica „iugiter eleemosynis insistebat”<sup>46</sup> iuxta apostoli exhortationem (cf. *Lc* 11, 41) pervigil in oratione et meditatione sancta. Unde aperte ei pertinere videntur verba prestituta: **Noctem illam duxit rex insomnem**, que fuere verba thematis in exordio nostre collacionis assumpta et coram dignis vestris conspectibus pueriliter<sup>lvii</sup> introducta etc.

Ex serie verborum thematis tria dignoscuntur consideranda<sup>lviii</sup>:

(2.2.1) Primo obscuritas temporis sine remedio luminis, cum dicitur: **Noctem illam**;

(2.2.2) secundo dignitas ducalis sine simulatione iniusticie, cum dicitur: **Rex**;

(2.2.3) tercio opportunitas laboris sine requie operis, cum dicitur: **Duxit insomnem**.

(2.2.2) Dimisso primo brevitatis amore dixi secundo, quod ex serie verborum thematis clarescit dignitas ducalis sine simulatione iniusticie, cum subinfertur: **Rex**. Ipse enim vero (cf. *uitam Lad. rec. II 1, 1-5*) ex illustri prosapia <regum> Hungarie progenitus<sup>47</sup> „in ipso suo (*sic*) nativitatis exordio »gracie Dei propositum«<sup>lix</sup> habitu<sup>lx</sup> corporis et animi preferebat et natus premonstrabat infantulus, qualis erat (*sic*) rex futurus. Clemencia nimirum Conditoris, qui<sup>lxi</sup> »speciosus forma pre filiis hominum« et innumerabilis sapientie describitur, sic ad similitudinem suam »in operis sui vicario« »bone spei« ac future dignitatis fundamenta coniecit, ut ex prima compositione sui decore<sup>lxii</sup> corporis et mentis indole puer ostenderet, cuius vicem adultus tenere natus<sup>lxiii</sup> esset. In his itaque gracie previis donis exortus Ladislaus est vocatus, quod utique nomen non sine presagio futurorum videtur eidem esse impositum.” „Ladislaus nempe laus data populis sonat. Ipse quidem laus populis erat data, quia in nacionibus, quibus princeps talis surrexerat, gloriosum nomen exstitit tanto rectore diuinitus concesso visitari.”<sup>48</sup> „Cumque etatis perfecte attigisset statum, scilicet quia fuit sublimis frater regis, convenit universa multitudo nobilium et cum communi consensu, pari voto et conscia voluntate ad suscipiendum regni gubernacula concorditer elegerunt, immo vere magnis et affectuosissimis precibus compulerunt. Omnes enim noverant ipsum esse vestitum conversacione virtutum, fide catholicum, pietate precipuum, largitate mirificum, caritate conspicuum. »Emicuit quippe quasi stella matutina in medio nebule«; velut enim sol refulgens, sic refulsit in populo Dei.”<sup>49</sup> Quis enim vitam eius sanctissimam enarrare poterit? „Beatus” est enim, quia „inuentus est sine macula”, „et qui post” terreni lucri „aurum non abiit nec speravit in thesauris pecunie, laudemus eum. Fecit enim mirabilia in vita sua” *Eccli.* 31, (8–9). Unde virtutum opulencia in eo considerata, „Romanorum imperatore mortuo duces et tetrarche, comites et satrape Theutonicorum cunctique barones et optimates unanimiter et concorditer rogaverunt eum, ut susciperet imperium. Ipse vero secundum apostolum (cf. *Phil.* 2, 21) non sua, sed que<sup>lxiv</sup> Iesu Christi sunt querebat. Ideo assumere recusabat, illud divinum<sup>lxv</sup> oraculum mente sedula revolvebat<sup>lxvi</sup>, »non transgrediaris<sup>lxvii</sup> terminos antiquos, quos posuerunt patres tui« *Prov.* XXII, (28)”<sup>50</sup> Victus quippe prece „regni gubernacula suscepit, sine potestatis aut honoris ambitione, sine qualibet seculari cupiditate; regie dignitatis ministerium non ut presit, sed ut prosit adimplebat”,<sup>51</sup> pia comploracione „peccata populi plangebatur”<sup>52</sup> et pro eorum iniuria se periculo opponebat. Adauxit etiam rem publicam Hungarie. Ipse namque primus Dalmatiam atque Croatiam sue monarchie iure<sup>lxviii</sup> perpetuo

<sup>45</sup> Epistola dominicae 3. post Pentecosten (1 Pt 5, 6–11) a. 1462 in festo s. Ladislai regis (27. iulii) lecta est.

<sup>46</sup> Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 519, 15 et Sermo I Pelbarti, in hoc volumine N° 14 (2.3).

<sup>47</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 515, 1–2.

<sup>48</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 515, 18–516, 16.

<sup>49</sup> *Chronici Hungarici compositio s. XIV*, SRH I, 403, 30–404, 11.

<sup>50</sup> *Chronici Hungarici compositio s. XIV*, SRH I, 416, 26–417, 7.

<sup>51</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 518, 4–10.

<sup>52</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 519, 15.

subiugavit. Diligenter denique considerabat<sup>lxxix</sup> et ad memoriam revocabat regalia insigniorum, scilicet purpure, fibule, auree corone seu diadematis et sceptri, significacionem. Unde Albertus super Lucam illud Luce tractans: „Adveniat regnum tuum” (Lc 11, 2) quintum addens, scilicet thronum, dicit, quod in his signis quinque ostenditur rex quivis radiare quinque rationis radiis.<sup>lxxx</sup> Nam corona et diadema, oranamentum capitis, significat in eo virtutum intellectualium excellenciam, purpurea vestis, ornamentum corporis, morum regalia decenciam, fibula aurea, ornamentum pectoris, consilii secretum et latenciam, sceptrum et virga regalis iusticie decretum et permanenciam et thronus mentis quietem<sup>lxxxi</sup> et persistenciam.<sup>53</sup> Et hec omnia<sup>lxxii</sup> servant rationem bene ordinatam, ut patebit.

(2.2.2.1) Dico primo, quod corona, que est ornamentum capitis, significat in rege virtutum intellectualium excellenciam. Sic enim non solum ab humana invencione, sed eciam a natura et Dei ordinacione corona materialis debetur regibus in signum excellencie virtutis super ceteros. Nam et regulus serpentum sic diademate coronatur, ut dicit Isidorus *Ethymologiarum* libro 12, cap. 8<sup>vo</sup>.<sup>54</sup> Exemplificat etiam Albertus tractatu 2<sup>o</sup> 2<sup>o</sup><sup>lxxiii</sup> in *Moralium* capitulo 1<sup>o</sup> (*locus non inuentus*), quod ipso existente Venetiis lapis magnus marmoreus scissus fuit et caput pulcherrimi regis coronati in scissura apparuit, quod naturaliter in marmore fuit generatum.<sup>55</sup> Videtur ergo Deus et natura non solum hominem, immo eciam regiam coronam in signum excellencie super ceteras effigiasse creaturas, maxime autem in signum virtutum intellectualium. Nam sicut materiale caput regis corona decoratur, ita eciam ratio, que est caput hominis interioris, virtutibus intellectualibus debet quasi diademate et corona spirituali insigniri. Hec autem sunt quinque, scilicet sapiencia, intellectus, sciencia, prudentia et ars, ut dicitur<sup>lxxiv</sup> 6<sup>o</sup> *Ethicorum*: „Coronam ergo regni in capite portare est quinque ista in capite mentis habere, ut sapiencia sit tamquam lapis preciosus ornans superiora, intellegencia sit in fronte ab anterioribus procedens, sciencia in occipite posteriora eliciens, prudentia a dextris elegibilia discernens, et in sinistra ars exteriora bene disponens.”<sup>56</sup> Hec est corona, de qua dicitur *Eccli.* 45, (9): „Coronavit eum in vasis virtutum<sup>lxxv</sup>.”<sup>57</sup> O quam sanctus, quam preclarus es, gloriosissime rex Ladislave, qui has et aliarum virtutum in tua corona gemmas posuisti pensans illud scriptum in libro Apulei *De deo Socratis*: „Magna est sapiencie dignitas, que Socratem<sup>lxxvi</sup> summo coequabat”, et paulo infra (*ibid.*): „Nihil est Deo graciousius et similius quam vir animo perfectus”.<sup>58</sup> Vere enim beatissima dicta sunt de te et erit nomen tuum celebre in universis nacionibus. „Erat enim consolator afflictorum, sublevator oppressorum, pius pater pupillorum et protector<sup>lxxvii</sup> orphanorum”.<sup>59</sup> O vere felix rex et felicissimus; qui „regie dignitatis officio dignissime accepto quantum se ac<sup>lxxviii</sup> qualem exhibuerit, plus est, quam verbis queat explicari.”<sup>60</sup> „Erat itaque benignus in affectu,<sup>lxxix</sup> providus in consilio, verax in sermone, constans in promissione, severus in corripiendo<sup>lxxx</sup>.”<sup>61</sup> De quo eciam sancta mater canit ecclesia: „Fons eterne pietatis, lux superne veritatis, tibi, Christe, complacente, Ladislavo nos tuente, fac consortes eternorum te laudantes gaudiorum.”<sup>62</sup> Ex his ergo patet, quomodo primum insigne<sup>lxxxii</sup> regale, scilicet corona in rege, significat (*sic*) typice habere virtutum intellectualium excellenciam.

<sup>53</sup> Albertus Magnus, *Enarrationes in Lucam*, 11, 2 – vol. 23 p. 114 sq. ed. Borgnet.

<sup>54</sup> Locus non inventus, cf. tamen Isidorus, *Etymologiae*, lib. 12, 4, 6: „basiliscus Graece, Latine interpretatur regulus, eo quod rex serpentium sit”.

<sup>55</sup> Locus non inventus.

<sup>56</sup> Aristoteles, *Ethica Nicomachea*, lib. 6, c. 3. – *Aristoteles Latinus* 26, 2, 2 p. 255, 14 et 26, 3 p. 480, 11.

<sup>57</sup> Fere verbatim ex Alberto Magno (cf. supra sub nota 52) exscripta.

<sup>58</sup> Apuleius, *De deo Socratis*, 20.

<sup>59</sup> Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 517, 11–13.

<sup>60</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 518, 11–12.

<sup>61</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 518, 22–24.

<sup>62</sup> Officium rhythmicum s. Ladislai regis, Antiphona ad Vesperas. *Vetus hymnarium ecclesiasticum Hungariae*, ed. I. Dankó Budapestini a. 1893, p. 174.

(2.2.2) Sed qui coronam regni habet in capite, congrue vestimentum regale induit, quod est purpura, quia secundum S. Thomam 3<sup>o</sup> *Contra gentiles* cap. 148 bene moraliter est purpura vestitus<sup>lxxxii</sup> et est „byssus et purpura indumentum eius” (*Prv* 31, 22).<sup>63</sup> Merito etiam fibula non ei deneganda, „que omni decore munit<sup>lxxxiii</sup> pectus”. Nam et Alexander dedit „fibulam auream” Ionathe „sicut est consuetudo dare cognatis regum” (1 *Mcc* 10, 88sq.). Et quia iusticie directionem atque permanenciam dilexit sicut decet reges quadruplici ratione secundum Egidium, *De regimine principum* libro primo, parte 2<sup>a</sup>, cap. 12, ex persone regalis dignitate, ex iusticie claritate, ex perfectionis bonitate et ex iniusticie opposite pravitate,<sup>64</sup> merito sceptrum in manu tenuit, per quod iusticia designatur. Tum quia requies eius in seculum seculi, tum quia auditum faciet iudicium, quia „honor regis iudicium diligit” (*Ps* 98, 4) et iusticiam omnibus iniuriam patientibus <...?>, gloria super gloriam est addenda sibi, et thronus locetur ei fulgens ut sol. Ecce quam gloriosus fuit rex noster hodie coram eo, qui electos suos mirifice exaltat et honorifice coronat: „Corona aurea super caput eius expressa signo sanctitatis, gloria honoris et opus fortitudinis” (*Sir* 45, 14). Venite ergo et videte regem cum corona, qua coronavit eum Dominus in hac die sollempnitatis et leticie ipsius, „fecitque ei nomen grande iuxta nomen magnorum, qui sunt in terris” 2<sup>o</sup> *Reg.* 7<sup>mo</sup> (9). Et tantum de secundo.<sup>lxxxiv</sup>

(2.2.3) Tercio dico et brevius, quod beatissimus noster patronus Ladislaus commendatur ab opportunitate laboris sine requie operis, cum sequitur in themate **duxit insomnem**, secundum apostolum 1<sup>a</sup> ad *Cor.* 9<sup>no</sup> (24) volentem apprehendere vite bravium: Sataget, ut stadii impleat officium, in hoc mundo †pressuram in Christo autem (pacem) paciens†, in quo diversorum inimicorum fatigamur insidiis. „Milicia est enim vita hominis super terram” *Iob* 7<sup>o</sup> (1). Super quo verbo dicit beatus Gregorius VIII<sup>o</sup> *Moralium*: Homo, „cum contra malorum spirituum insidias vigilat, in bellorum procinctu procul dubio exsudat”.<sup>65</sup> Unde quisvis quamdiu est in vita presenti, habet intra se hostem domesticum carnem, scilicet ad illicita trahentem, habet etiam adversarium iuxta se mundum, scilicet ad honores et divicias provocantem, habet etiam inimicum circa se diabolium, scilicet ad omnia facinora stimulantem. Bene dicitur prophetico sermone *Ierem.* 5<sup>mo</sup> (recte 50, 22): „Vox belli in terra”. Unde ista est „terra maledicta”, que non generat nisi „spinas et tribulos” *Gen.* 3<sup>o</sup> (17). Unde Bernardus in quodam sermone de ieiunio dicit: „Heu mihi, Domine, quia undique mihi bella, undique tela volant,<sup>lxxxv</sup> undique temptamenta, undique pericula! quocumque me vertam, nulla securitas. Et que mulce<n>t et que molesta<n>t, timeo: Esuries et refeccio, somnus et vigilie, labor et requies militant contra me; non minus suspectus est mihi iocus quam ira, multos siquidem iocando scandalizavi, nec minus vereor prospera quam adversa. Prospera namque suavitate sua tantum decipiunt, adversa vero, quia aliquid amaritudinis habent, velut peccati ponderositas, me suspectum et timidum reddunt.<sup>lxxxvi</sup> Magis timeo malum, quod facio in abscondito, quam in aperto. Malum namque, quod nemo videt, nullus reprehendit et, ubi non timetur reprehensor, secure accedit temptator et iniquitas facilius perpetratur.”<sup>66</sup> Et ideo vita presens non reputatur, sed exilium, non domus sed carcer, non vita sed mors. Hec beatus Bernardus. Et beatus Augustinus in libro, qui dicitur *Manuale* sive *Speculum*, dicit: Sic veniat „desinat et quam cito finiatur vita ista, vita dubia, vita ceca, vita erumposa, quam humores<sup>lxxxvii</sup> tumidant, dolores exterminant, ardores exsiccant, aer{e}a morbidant, esce inflant, ieiunia macerant, ioci solvunt, tristicie consumunt, sollicitudo coartat, securitas

<sup>63</sup> Locus non inventus.

<sup>64</sup> Aegidius Columna, *De regimine principum*, 1, 2, 12: „prima uia (sc. veritatis venerandi) sumitur ex parte personae regiae, secunda ex parte ipsius iustitiae, tertia ex perfectione bonitatis, quae e iustitia innotescit et quarta ex ipsa malitia, quae ex iniustitia consurgit.”

<sup>65</sup> Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, lib. 8, c. 8. – PL 75, 805C.

<sup>66</sup> Bernardus Claraevallensis, *Meditationes piissimae*. – PL 184, 504A–B, cf. Bernardus Claraevallensis, *Serm. de voluntate divina*, 3. – Vol. 6, 1, p. 38, 17-20 (Leclerq/Rochais).

hebetat, divicie iactant, paupertas deicit, iuventus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, meror deprimit.”<sup>67</sup> Et postremo, beatus Bernardus *sermone* 38 super *Cantica* de antiquo adversario dicit: „Hic proditor plane cupidita{ti}s, radix iniquitatis, ambicio mali,<sup>lxxxviii</sup> secretum virus, pestis occulta, doli artifex, pater hypocrisis, livoris parens, viciorum origo, criminum fomes,<sup>lxxxix</sup> virtutum erugo, tinea sanctitatis, excecator cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem”.<sup>68</sup> „Omne enim, quod est in mundo, aut est concupiscencia carnis aut concupiscencia<sup>xc</sup> oculorum, aut superbia vite<sup>xcii</sup>” 1<sup>a</sup> *Ioh.* 2<sup>o</sup> (16). Adversus ergo horum<sup>xciii</sup> machinamina (?) creati (?) temptamenta,<sup>xciv</sup> ut dicit Chrysostomus prime dominice XL<sup>me</sup> (*locus non inuentus*): „Christiane, delicatus es miles, si putes<sup>xcv</sup> te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare, fortiter dimicare. Atrociter in prelio concerta, considera pactum, condicionem attende, miliciam agnosce, pactum, quod spondidisti, condicionem, quam accepisti, militiam, cui nomen dedisti.”<sup>69</sup> Hoc enim pacto cuncti pugnaverunt sancti, hac condicione universi vicerunt ac milicia triumphaverunt etc.

Aggrediamur ergo inpugnantes cum magna audacia et fortitudine,  
 congregiamur cum magna prudentia et certitudine,  
 egrediamur<sup>xcvi</sup> cum magna victoria et laudis magnitudine!

(2.2.3.1) Propter primum accipit miles gladium invasivum.<sup>xcvii</sup> Unde 2<sup>o</sup> *Macc.* ultimo (16) illi optimo<sup>xcviii</sup> militi Iude Macchabeo forti viribus dictum est: „Accipe gladium sanctum, munus a Deo, in quo deicias adversarios populi mei Israel”. Et David Sauli<sup>xcix</sup> et Ionathe, strenuis militibus, dicebat, quod essent „leonibus forciores” 2<sup>o</sup> *Reg.* 1<sup>o</sup> (23). Et beatus Bernardus *De laude nove milicie templi* sic inquit, quod boni milites in convictu dicunt<ur> esse „agnis miciores”<sup>c</sup>, in conflictu „leonibus forciores”<sup>ci</sup><sup>70</sup> etc.

(2.2.3.2) Propter secundum portat miles clipeum defensivum. Unde illi fortissimo militi Iosue dictum est eiusdem 8<sup>vo</sup> (18): „Leva clipeum, qui in manu tua est, contra urbem, quia tradam eam tibi”. Unde pugnantibus non sufficit, quod habeat gladium invasivum, nisi etiam habeat clipeum defensivum, quia non sufficit ei, quod aggrediatur cum audacia et fortitudine, nisi etiam congregiatur cum prudentia et certitudine. *Eccles.* IX, (16): „Melior est sapientia fortitudine”. Ibidem (*Eccl.* 9, 18): „Melior est scientia quam arma bellica”. Tali defensione munitus erat apostolus Paulus, cum dicebat 1<sup>a</sup> ad *Cor.* IX<sup>o</sup> (26): „Sic pugno non quasi aerem verberans” etc.

(2.2.3.3) Propter tertium portat pugnantibus de bello bravium coronatum. „Non enim coronatur, nisi qui legitime certaverit” 2<sup>a</sup> ad *Tim.* 2<sup>o</sup> (5). „Bonum enim certamen certavit” apostolus, cum „ei reposita est corona iusticie” (2 *Tim.* 4, 7–8).

Sed, reverendissimi patres et domini, cum nos simus, „in quos fines seculorum devenerunt” 1<sup>a</sup> <ad> *Cor.* X<sup>o</sup> (11), et in novissimis illis temporibus diversa inimicorum insurgunt bella, arripiamus gladium divini verbi et dileccionis, scutum fidei infatigabiliter teneamus, ut vite eterne bravium accipere valeamus. Armemus nos iuxta consilium apostoli ad *Ephes.* 6<sup>to</sup> (11–17) dicentis: „Induite vos armatura Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, <contra> spiritualia nequicie in celestibus; propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare.”<sup>cii</sup> State ergo succincti lumbos vestros in veritate et induti lorica iusticie et calciati pedes in preparacione evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, et galeam salutis assumite et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Arma enim milicie nostre”, ut dicit apostolus 2<sup>o</sup> ad Corinthios X<sup>o</sup> (4),

<sup>67</sup> Ps.-Agustinus, *Speculum*, lib. 30. – PL 40, 981.

<sup>68</sup> Bernardus Claraevallensis, *Sermones in psalmum „Qui habitat”*, 6, 4. – Vol. 4, p. 407, 9–13 (Leclercq/Rochais).

<sup>69</sup> Locus non inventus.

<sup>70</sup> Bernardus Claraevallensis, *De laude novae militiae templi*, lib.4, 8. – Vol. 3, p. 221, 17sq. (Leclercq/Rochais).

„non carnalia, sed potencia Deo ad destructionem municionum<sup>ciii</sup>.” Hec enim arma beatissimus noster patronus curiosa sollicitudine iugiter excoluit, circa illas<sup>civ</sup> nocturnas diurnasque excubias vigili et insomni sedulitate dependit. Quisquis itaque solio recti examinis ita praeest, <ut> omnes suae carnis illecebras uiciorumque barbariem violento imperio mortificare festinet, hic rex digne censendus est. Ideo vocatus est „in hereditatem incorruptibilem, incontaminatam, inmarcescibilem<sup>cv</sup> conservatam in celis” 1<sup>a</sup> *Petri* 1<sup>o</sup> (4). In illa habet anulum fidei, armillas perfectionis propter active vite perfectionem, dextralia etiam speculative contemplacionis;<sup>cvi</sup> *Apok.* VI, (2): „Data est ei corona et exivit vincens ut vinceret”. Exstitit enim victor gloriosus. Non enim hoc, quod de eo eius refert historia, silencio pretereundum est. Fuit<sup>cvi</sup> enim decenter et onuste virtutibus animi adornatus. „Corporis etiam viribus et venustate Deum in se laudabilem exhibebat. Erat enim manu robustus et reverendi admodum vultus, statura procerus et ceteris hominibus ab humero supra preeminens, ut exuberantem in ipso donorum plenitudinem ipsa corporis species imperio digna declararet.”<sup>71</sup> Erat devotus in creatorem, benivolus<sup>cvi</sup> in homines, liberalis in extraneos, misericors in afflictos, munificus in subiectos, validissimus oppressorum liberator.”<sup>72</sup>

Sed, patres peroptimi, quid honoris, quid laudis, quid rei publice boni referam de nostris principibus nunc residentibus in plebis culmine? Dolorosum et lugubre est me narrare. „Effusa est enim contencio super principes” *Ps.* C<sup>o</sup>6<sup>o</sup> (40). Omnes amici et omnes inimici, omnes necessarii et omnes adversarii, omnes domestici Christiane religionis et nulli pacifici, omnes Christiani et omnes, que sua sunt, querunt, ministri Christi sunt et serviunt Antichristo, honorati incedunt de bonis Domini, honorem Deo non deferunt. Inde aurum in frenis et sellis, et plus calcaria quam altaria fulgent, promptuaria eorum plena eructancia ex hoc in illud; inde referta marsubia. Per hec et huiusmodi olunt esse ecclesie principes, cum omnes declinaverunt a via veritatis et simul inutiles facti sunt non attendentes innocencium effusionem sanguinis per omnes partes Noricas et quasi ubique terrarum. O sancta mater Ecclesia, quanta nunc est tribulacio tua, cum ii, qui exempla preferre deberent, divisionibus nescio qualibus ab invicem separantur. Sed siqui in huiusmodi calamitatibus reprehensibiles sunt, inpunes sine ambiguitate non transibunt. „Omnis enim potentatus brevis vita” *Ecci.* X<sup>o</sup> (11); sequitur: „hodie rex, cras enim morietur” (*Sir* 10, 12). Sed ve eis, quia „potentes potenter tormenta patientur. Durissimum enim iudicium fiet iis, qui<sup>cix</sup> presunt” *Sap.* 6<sup>to</sup> (6). Quoniam, cum „letabitur<sup>cx</sup> iustus, <cum viderit> vindictam<sup>cx</sup> lavando manus in sanguine peccatorum” (*Ps* 57, 11), tunc „triumphabit<sup>cxii</sup> Dominus de regibus, et tyranni ridiculi eius erunt” *Hab.* 1<sup>o</sup> (10). Non erit eis pax, quia pacifici non sunt, erit pax eorum amaritudo amarissima. Est enim nunc pax ab hereticis publice nobis insultantibus,<sup>cxiii</sup> est pax a paganis insidias nobis ponentibus, est pax a Iudeis, fidem nostram negantibus? Sed non a fidei filiis vox plangentis in tempore isto Isaias 1<sup>o</sup> (2): „Filiis enutrivisti et exaltavi, ipsi autem spreverunt me”, maculaverunt me a turpi questu, a turpi victu, a turpi commercio, „a negotio” denique „perambulante in tenebris” (*Ps* 90, 6)? Armemus ergo nos iuxta apostoli documentum (*Hbr* 12, 1sq.) et „curramus ad propositum nobis certamen aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum”, quia *Iac.* 1<sup>o</sup> (12) dicitur: „Beatus vir, qui suffert temptationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vite, quam repromisit Deus diligentibus se”; quam nobis ipse concedat, qui est benedictus in cunctis seculorum seculis. Amen. Deo gracias.

<sup>71</sup> Cf. *Legendam s. Ladislai*, SRH II, 517, 17–21.

<sup>72</sup> Cf. *Legendam s. Ladislai*, SRH II, 517, 11–13.

- 
- i **I** *titulum om.*  
ii cum] **V** tamen  
iii sinceris] **V** sincerius  
iv fuerant] **I** fuerunt  
v intellectu] **I** intellectum  
vi obscuratum est aurum] **V** obscuratus est aut, **I** obscuratus est autem  
vii Inde] **I** sive  
viii incertitudinis] **I** incertitudine  
ix multiformia] **I** multiforma  
x in tuto] **I** induto  
xi gubernaculum] **I** *semper* iubernaculum  
xii gracia ... obtenta] **V**, **I** gracia ... obtentum  
xiii prima] **I** primo  
xiv **I** et que  
xv intellectusque] **I** mentisque  
xvi in manu] **V** *add. super linea*  
xvii concordia *post* indigent *add. et postea del.* **V**  
xviii duci] **I** dub (*sic*)  
xix Rex ... X<sup>o</sup>] **V** *add. in margine*  
xx Philosophus] **I** dicit *add.*  
xxi ait] **I** *om.*  
xxii Peloponnensium] **I** Poliponnensium  
xxiii dicit] **I** *om.*  
xxiv communi] **V** *corr. ex* convenienter, **I** convenienter  
xxv scribit] **I** scribi  
xxvi amorem] **I** amore  
xxvii commilitones] **I** commilitoris  
xxviii IIIo] **I** IIIo  
xxix stare] **V** *del.*, scandere *add. in margine*  
xxx corpore] **V** *corr. in capite*  
xxxI esse] **I** *om.*, **V** *add super linea*  
xxxII *Recte:* Zaleuco.  
xxxIII vindicta] **I** vindictam  
xxxIV vindicta] **I** vindictam  
xxxV Romanum] **I** Romani  
xxxVI in gerendis] **I** iungendis  
xxxVII prosperatus] **I** prostratus  
xxxVIII eligi] **V** elegi  
xxxIX reges] **V** *et* **I** regi  
xl Claudianus: „nec sic”.  
xli Claudianus: „edicta valent ut vita regentis”.  
xlii regis ad exemplum ... faciendo] **I** *om.*  
xliii IIIo] **V** 4o  
xliv largus] **V** *corr. ex* largos, **I** largos  
xlv nullum] **V** *corr. ex* nullis, **I** nullis  
xlvi Regius ... scribebat] **V** *del.*  
xlvii sit] **V** set  
xlviii allatum] **V** *et* **I** ablatum  
xlix destrui] **V** *et* **I** destruere  
l pudicicia] **I** prudencia  
li varietatum] **I** varietatem  
lii dicit] **V** *et* **I** dicens  
liii ut et] **V** vel  
liv sicut] **V** ipse  
lv in aliquo] **V** *corr. ex* pro aliquo  
lvi dirigunt] **V** *et* **I** dirigit  
lvii pueriliter] **V** *corr. ex* principaliter  
lviii consideranda] **I** *om.*  
lix propositum] **I** proposita

- 
- lx habitu] **V** habitum  
lxi que] **V et I** qui  
lxii decore] **V** decori, **I** decoris  
lxiii tenere natus] **I** natus tenere  
lxiv que] **I** qui  
lxv divinum] **I** dominicum  
lxvi revolvebat] **I** resolvebat  
lxvii transgrtediaris] **V et I** transgrediatis  
lxviii iure] **I** iuri  
lxix considerabat] **V corr. ex** consideravit  
lxx radiis] **V et I** radiciis  
lxxi quietem] **I** quietam  
lxxii hec omnia] **I** hoc omnino  
lxxiii 2<sup>o</sup> 2<sup>o</sup>] **I** 3<sup>o</sup> 2<sup>i</sup>  
lxxiv dicitur] **I** videtur  
lxxv virtutum] **I** virtutis  
lxxvi Socratem] **I** societatem  
lxxvii protector] **V** protectoris, **I** protectorum  
lxxviii ac] **V** aut  
lxxix in affectu] **V et I** affatu  
lxxx corpiendo] **I** corrigendo  
lxxx iusigne] **V corr. ex** insignium  
lxxxii vestitus] **I** vestibus  
lxxxiii munit] **V** mo(?)it, **I** invit(?)  
lxxxiv secundo] **V corr. ex** primo, **I** primo  
lxxxv volant] **V et I** volantis  
lxxxvi reddunt] **V add. in margine, I om.**  
lxxxvii humores] **I** honores  
lxxxviii Bernhardus: ambitio, subtile malum  
lxxxix Bernhardus: fomes] **V et I** fames  
xc concupiscencia] **V add. s. l., I. om.**  
xci vite] **V add. s. l.**  
xcii 1a] **V om.**  
xciii horum] **I** harum  
xciv temptamenta] **V p(ec?)camenta**  
xcv putes] **V corr. ex** potes, **I** potes  
xcvi egrediamur] **V** egrediemur  
xcvii invasivum] **V** invasinum  
xcviii optimo] **V** optimi  
xcix Sauli] **I** Saul  
c miciores] **I** menciores  
ci Bernardus: *ferociores*  
cii stare] **V et I** state  
ciii municionum] **V corr. ex** inimicorum, **I** inimicorum  
civ illas] **V** illa  
cv inmarcescibilem] **V et I** inmarcessibilem  
cvi contemplacionis] **V corr. ex** contemplacionem  
cvii fuit] **V** affuit  
cviii benivulus] **V** benemvolus  
cix qui] **V et I** que  
cx letabitur] **V et I** latibitur  
cx i vindictam] **V et I** vindictime  
cxii triumphabit] **V et I** triumphavit  
cxiii insultantibus] **V et I** insaltantibus